

In Augu- confirmaverit. Frustra *Suetonius* dixit. „ Multaque a multis ex-  
 gust. c. „ structa sunt : sicut a Martio Philippo *Ædes Herculis Musarum* ,  
 29. „ scilicet instaurata. „ Quocirca etiam *Ovidius* cecinerat :

Fastor.  
 VI. v.  
 799.

Dicite Pierides, quis vos adjunxerit isti :

Cui dedit invictas victa noverca manus ?

Sic ego. Sic Clio : Clari monumenta *Philippi*

Adspicis.

Sed manum tandem de Tabula V. ta.

## DIALOGUS XXIX.

De Aesculapio, eique cognatis Me-  
 dicis Diis.

PUBLIUS.

I. **M**Ihi ex omnibus Numis meis unicus est Caracal-  
 læ Denarius, in cujus Aversa *Aesculapius*, a quo Ta-  
 bulam tuam VI. auspiciatus es, compareat, habitu Vi-  
 ri fenis, & stantis, ac palliati, qui lævam pectori ad-  
 movet, atque dextra demissa baculum sustinet, cui anguis imple-  
 xus. Nomen ejus tacetur, solis *Caracallæ* titulis, ex Adversa  
 residuis, circumpositis. Recordor autem ex Dial. IX. Exercitat.  
 Procem. n. 1. & 2. do. Numen hoc Medicum esse, Patremque *Hy-*  
*ginii*, & *Hygieiæ*, sive *Dææ Salutis*, aut *Valetudinis* : quibus omni-  
 bus Anguis perpetuus comes, & solita tessera est.

II. **TULL.** Angustam tu Deo huic Familiam tribuis : nam &  
*Machaonem*, *Podalirium*, *Panaceam*, *Aegloniam* genuit. Nisi, quot  
 Me-



Medici, aut Medicinæ celebres evaserant, tot *Aesculapio* proles evenerint, maxime, cum & hic ipse varius & multiplex fuisse fingatur. Princeps omnium erat, quem ex *Apolline*, atque *Corodine*, furtivis amoribus genitum commenti sunt, sic tamen, ut natus prodire in publicum non ausus, expositus fuerit a Matre in colle quopiam, a capre lactatus, custoditus a cane pastoritio, a *Chironæ* Centauro educatus, & Medicam Artem edoctus. Ingenii porro divini discipulus adeo supra Magistrum profecit, ut omnium ægritudinum persanandarum jam potens, mortuos quoque revocare ad vitam præsumeret. Quorum uno vitalem in auram reducto, commovit in se Plutonium: qui & impetravit a Jove, ut *Aesculapium* fulmine sterneret: redivivum autem, ex mortali posthac immortalem effecit. Ecce, quam felix mentientium ingenium.

Philosophi, amplius aliquid sapere cupientes, per hunc Deum Sanitatis intelligebant communem omnium hominum Salutem: cujus causam existimabant vitalem Solis calorem, tepido aëri commixtum, quo attracto homines respirant, & vegeti persistunt. Ast vere Dominus *Pluche* fingendo *Aesculapio* certissimum ortum dedisse arbitratur Signum *Anubis* Aegyptii, sive Stellæ Sirix Caninæ, i. e. Viri, cum capite canis, propter Stellam, quam repræsentare debuerat, cumque baculo serpentino, ut vitæ conservationem innueret, proponi consueti: cujusmodi figuram infra intueberis. Nam hebraicum *Eshcaleph*, unde sine dubio *Aesculapius*, idem sonabat, ac *Vir canis*. Huic Signo sub initium Aegyptii debebant salutem suam, ac vitam: dum per ortum Stellæ caninæ de fuga, ob inundationem proximam intumescentis Nili, ad montes capienda, deque debito prata conferendi, metendique tempore præmonebantur.

Hinc ansa capiebatur fingendi *Aesculapium*, eumque prædicandi, ut Medicum Deum, Numque Vitale, ac Salutare, hujusque rei causa virga eidem serpentina sceptri proprii loco addebatur. Quoniam vero Græci Artifices oderant imagines, monstro similes: placuit *Aesculapio*, rejecto capite canino, barbati, senis, gravisque Viri speciem dare, qui medendi sapientiam ipsa vultus auctoritate præferret, canem porro ad pedes adjungere,

III.

Libr. I.  
Cap. II.  
§. 25.

IV.



alias Gallum Gallinaceum, subinde quoque Bubonem. Quæ si-  
ve diurna, siue nocturna animalia, Vigilantiæ, qua summa Me-  
dicus esse debet, Symbola credebantur: quamvis & hæc ab Aeg-  
yptiis mutuata sint, quando *Anubi* addebantur ad præsignandum  
Stellæ Caninæ ortum, qui mane contigerat.

- V. *PUBL.* Est mihi Ectypon ex ichtiocollo Numi medii, cum  
capite barbato, & laureato in Adversa, ubi ex epigraphe nihil  
superest, nisi literæ - - - ULAP - - - infra positæ, ut  
credam, subscriptum hic fuisse Nomen integrum AESCULAPI-  
US. In Adversa baculo erecto circumplexus est serpens: pone  
hinc & inde columnatim scribitur: *M. anius ACILI. us.* Fuisse  
hunc *Triumvirum Valetudinis curanda*, ex alio ejusdem denario  
meo argenteo, quem pinxeras in Exercit. Procem. Tab. III. n. I.  
satis per te didici. Ubi pariter docuisti me, finxisse nonnullos,  
cum *Aesculapius* meditatus esset secum, quomodo Glaucum per-  
sanaret, Serpentem ad eum adrepisse medica cum herba, quæ  
infirmum restituerit, & ideo tam ipsi, quam omnibus Medicis  
Diis Anguem adjungi. Jactari tamen & alias causas: Nimirum,  
quod ex venenato hoc animali nihilominus præstantia pharmaca  
præparentur: quod Serpens, exuta pelle veteri, novis viribus  
reparatus, pulchro symbolo ægrum sanitati redditum designet:  
demum, quod hoc animal omni tempore a vigilantia simul, at-  
que prudentia commendatum sit, ne ipso quidem Scripturæ san-  
ctæ testimonio deficiente. Mirum vero mihi semper, tam vafsam  
tam noxiam, tam turpem bestiam, pro vitæ tamen symbolo,  
quin etiam pro inhabitantis divinitatis quasi Sede, cum primis ab  
Aegyptiis, habitam esse.

- VI. *TULL.* Latet hic mysterium, quod e sola hujus Animalis  
natura, ut nunc quidem est post maledictionem Divinam, su-  
perque pectus proprium graditur, ac terram comedit, eruere sa-  
tis haud licet. Certum namque apparet, si Literam Scripturæ  
sequi oporteat, Serpentem, dum sub specie ejusdem demon E-  
vam deciperet, corpus, ac sensum alium longe perfectiorem ha-  
buisset. *Thomæ Tenisonio* Anglo apud Reverendiss. *Calmetum*, qui ta-  
men id non approbat, videbatur hæc bestia tunc nitida fuisse,  
& alata, ut speciem Angeli præberet. Quod cum hominibus,  
an-

Supplem.  
Dic. Bi-  
bl. voce  
*Serpens.*



te, proximeque post diluvium existentibus, plenius constitisset, factum esse, ut orienti universo Serpentis, cujus plurimæ species dantur, maxima religio infederit. Alii sibi persuaserunt, peculiare hic latuisse diaboli opus, ac Serpentibus ab eo virtutem quampiam quasi divinam, & vatidicam, inditam esse: ut eodem instrumento, quo primos homines ab innocentia dejecit, infinitos postea etiam alios in perpetuum idololatriæ scelus præcipitaret. Certe divini habiti Serpentes, ex medullis hominum nati, Heroum animæ, Genii boni, malive, Ominatores prosperi, & adversi, Vatidici, & Oraculorum editores, quamplurimis in Numis, absque alia imagine, tanquam se solis Dii, comparent, jam unicus, jam geminus, mirabilibus in se spiris implexi: quorum plures Ill. *Spanhemius* I. a pag. 211. exactis præstantissimis imaginibus ex Medallionibus in medium protulit.

Verum, ut ad *Aesculapium* redeamus, apud eundem p. 217. est VII. Numus maximus *Antonini Pii*, cum ejus capite laureato: cujus in Aversa hinc videtur pars pontis Tiberini, cum prora navis subter unum e fornicibus ejus, insidente tortuoso serpente. Ex adverso rupes e flumine confurgit, eminente desuper ædificio turrato, & arbusculo excrecente: infra Tiberis fluvius confidet cum junco palustri, qui dextram Serpentem versus extendit. Subscribitur: AESCULAPIUS. Nihil dubitavit Vir Illustris, asserere, tam exacte, quam eleganter hic exprimi advectionem *Aesculapii*, ex Epidauro factam, cum Romæ pestis vehementer sævisset Añ: Urb. CCCCLXXVIII. juxta Fastos Capitolinos, pronunciatumque fuisset Sibyllinis e Libris, malum hoc non aliter averruncandum, quam si Medicus hic Deus advocaretur. Navigio eapropter, & Oratoribus, ad *Aesculapii* Templum dimissis, aliud nihil, quam Serpens, insiliit navim: quæ ad pontem Tiberis veniens, ibi substitit in Insula, Deo sibi hanc veluti domicilium decernente. Quæ & posthac, exstructo ibi Templo, Insula *Aesculapii*, *Pæonii*, aut *Epidaurici Serpentis*, appellata fuit. Quod modo non impari *Ovidius* cecinit.

Adversatur autem huic expositioni Cl. *Harduinus* ex rationibus, quas ille satis ponderis in rem asserere censuerat. Primum, In Plinio ait, non est hic imago *Aesculapii*, Vir senex cum baculo serpen- suo Tom-  
tino II. p. 505



tino. Deinde Anguis, eundem indicans, navigio quidem ex Epidauro Romam venit, cum aliud illuc iter non sit: sed cum hic exprimat pons Tiberis, navisque per fornicem transeat, non designari primum illum & vetustissimum *Aesculapii* ad Urbem adventum, qui factus est in Insulam, non commemorato transitu pontis. Cum itaque verosimillimum sit, primi Serpentis progeniem Romæ defecisse: novum Anguem, & quidem Senatus Consulto, ex Epidauro fuisse repetitum, transvectumque ex Portu Ostiensi ad Aedes Palatinas *Antonini* ægrotantis, ut sanaretur: ubi necessarius fuit pontis Tiberini transitus. Liquere hoc amplius, profequitur, ex Aedificio, quod non sit *Aesculapii* templum, in Insula erectum, sed Palatium Augustum, sic demonstrante Lauro Arbore, ante illud excrescente. Præterea e situ Serpentis, in prora, non in puppi Navis existentis: quem, nisi æneus crederetur, constanter in prora perstitisse, arbitrari non liceat. His fultus coloribus, *Aesculapii* Nomen, diserte hic adscriptum, non tolerat, sed ruptum ita legit: *A. nguis E. pidaurius S. enatus C. onsulato V. a. letudini L. evande A. ntonini P. ii I. llatus U. rbem S. ubit.* Exultat abinde, ipsum, quod primo videri obtutu poterat, Nomen Dei hanc sententiam totidem singularibus vocibus componere, quot ipsum literis constat. Adjicit præterea *Antoninum* frequentius ægrotasse: quod plures Numi ejus doceant, in quibus legitur: *Salus Augusti.*

IX.

*PUBL.* Hic sane placuit Viro Cl. verum Poëtam agere, novamque fabulam cudere. Ut enim crederem, Serpentem vivum ex Epidauro Romam transvectum, in quo, & ejus progenie, ibidem *Aesculapius* adoratus fuisset? Non Joves, non Apollines, non Martes, non quicumque Deorum viventes, colebantur ibidem, aut sola duntaxat Signa eorum: ergo nec Serpentinus *Aesculapius* vivus, tam lepidus insuper deus, ut emori potuerit. *TULL.* Disceptare de Numis hoc loco mihi animus non est, sed *Aesculapii* nonnullos tibi Numos percensere, ut scias, cui vota facias æger, dum tibi libuerit. *PUBL.* Etiam si ad Moylis æneum Serpentem, de quo forsitan audierint *Aesculapii* fabulatores, me ablegasses, hodie tibi non obaudirem. Intueor potius Numum primum Tabulæ tuæ VI. tæ.: in quo simul consistunt *Aesculapius*, ut



ut Vir fenex, demissa dextra baculum Serpentinum sustinens, & a dextris ejus Hygieia filia ejus, dextra gestatum serpentem e pa-  
 TAB. VI  
 N. I.

tera cibans. Epigraphæ græca, ex parte manca, est: ΕΠΙ ΣΤΡΑ  
 - - ΩΑΙΑΓΙ - - ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΝΕΩΚ. Sub Stratego.

- - - - Pergamenorum Neocororum.

TULL. Rursum Antonini Pii est hic Numus apud Cl. Pati-  
 num p. 179. a Pergamenis cufus: qui etiam, juxta columnam vete-  
 rem, pro Salute Augusti hujus ægrotantis vota fecerunt Aesculapio,  
 & Hygieia Servatoribus, Urbis custodibus. Cæterum Patinus idem,  
 quod etiam tu mox ante, suspicatus est, Moysis æneum Serpen-  
 tem commenta de Aesculapio peperisse: id, quod Petrus Huertius Gal-  
 lus, Vir ac Præsul doctissimus, fortiter olim tuebatur. Apud  
 Tom. I.  
 P. II.  
 Tab. 187.  
 fqq.

Montfalconium in pluribus Anaglyphis, ac Numis, Patri ac Filia,  
 mox laudatis, adjungitur parvula imago Telesphori pueri, singulari  
 plane vestitu, cucullati nempe capite, totoque corpore sic pal-  
 liato, ut ne brachia quidem ac manus compareant, sola parte pe-  
 dum conspicua. Habebatur hic puer, cætera inter medica Num-  
 mina, proprie tanquam reconvalescentium Deus, & forte propter  
 ea tam bene munito corpore, ac specie puerili fuit effectus, ut  
 indicaret, mox restitutam sanitatem, teneræ ætatis more, cau-  
 te custodiendam, & omnis Medicæ disciplinæ exacta observantia  
 futurum in robur firmandam esse. Interim Telesphorus pari figura  
 etiam Herculi sæpius adjunctus videtur: quod aliter interpretari  
 vix possis, nisi valetudinem bonam Fortitudini conjunctam esse  
 debere, & hanc absque illa nil posse.

PUBL. Secundus apud te Numus perelegans rursum Aescu-  
 lapium, ut alias quidem, cum baculo suo exhibet, sed sublimem,  
 & manibus duorum Centaurorum gestatum, qui & faces insuper  
 deferunt. Epigraphæ rursum græca est, circum quidem: ΕΠΙ  
 N. II.

CTP. ΦΑΑ. ΕΝΟΚΡΑΤΟΥ: i. e. Pergamenorum Neocororum sub Stratego  
 Flavio Xenocrate. TULL. Vulgavit huic medallionem sub Geta  
 signatum, Spanhemius I. p. 282. & alium grandiore Lucii Veri:  
 ubi tædiferi Centauri Aesculapium curru devehunt. Quem poste-  
 riorem Vir illustris alias Epistol. II. ad Morellium, quæ est in calce  
 Gotthæ Numaria a pag. 498, late ac summa, qua undique solet,  
 cum eruditione exposuit.

Do-



XII. Docet nimirum, *Aesculapium* fuisse quasi proprium *Pergamenorum* Numen, Templo apud eosdem post *Epidaurum* celeberrimo, cultum, Ludis quoque annuis, *Asclepiis* dictis, & *Pompa*, quod agebant, i. e. solemnibus ejus thesauris circumducta celebratum. *Centauros* porro ad eum deportandum adhibitos, quoniam a *Chirone* Centauro educatus, ab hoc pariter Medicam Artem addidit. Ab his autem faces præferri, tum, quod hæc ad pompas Deorum plerumque adhiberi solerent, tum quod *Aesculapius* Filius *Apollinis* haberetur: cum primis vero, quod ægri, salutis causa opem ejus flagitatu in Templo ipsius, lychnis ardentibus illustrato, nocturnas maxime vigilias agere consueverint.

XIII. Confirmat hæc tum ex *Galeno*, qui cum patria *Pergamenus* esset, *Aesculapium* prædicavit *Patrium Deum*: tum præcipue ex *Aristide*, sic de *Pergamo* scribente: „ Hic enim Fanum *Aesculapii*, & „ *Asiæ* Prytaneum est erectum: & hic amicæ faces omnibus a Deo „ præferuntur, qui eos ad se vocat, ac prorsus verum splendescere facit „ lumen. „ Ita sapiens iste in insipientia sua. Qui postea subdit, non tanti esse communem Navigationis, ac Institutionis Mercatoriarum Societatem, quanti sit „ ad *Aesculapii* Aedem simul commeasse, & ab optimo perfectissimoque *Tædifero*, ac *Mystagogo* „ cuique omnis cedit necessitas, primis esse Sacris initiatum. „ *PUBL.* Vehementer tenebrosus hic Orator, & sua opinione mera inter lumina versatus, de iisdem non melius, ac cæcus de colore, differuit. *TULL.* Gratulemur nobis de vero Lumine, quod est ille, qui, sicut *Moyſes* exaltavit Serpentem in deserto, pro nobis exaltatus est in Cruce, unus, & solus, atque communis Medicus Animarum nostrarum.



DIA-